



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ex Recogniti||one Des. Eras-||mi Roterodami.||

Erasmus, Desiderius

Basileae, 1518

VD16 E 3644

Aelii Spartiani Antoninvs Geta. Ad Constantinvm Avgvstvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14277

durissimus: & ut uno complectamur uerbo, paricida & incestus patris, matris, fratris inimicus, à Macrino qui eum occiderat, timore militum, ac maxime prætorianorum, inter deos relatus est. Habet templum, habet Salios, habet Sodales Antonianos, qui Faustinae templum quod ei sub Tauri radicibus fundauerat maritus: in quo postea filius huius Heliogabalus Antoninus sibi, uel Ioui Syrio, uel Soli (incertum id est) templum fecit.

AELII SPARTIANI

ANTONINVS GETA

AD CONSTANTINVM
AVGVSTVM.

ICIO CONSTANTINE AVGVSTE & multos & clementiã tuam quæstionem mouere posse, cur etiã Geta Antoninus à me tradat. De cuius priusquã uel uita uel nece dicã, disseram cur ipsi Antonino à Seuero patre sit nomẽ appositum. Neq; enim multa in eius uita dici possunt, qui prius rebus humanis exemptus est, quã cum fratre teneret imperiũ. Septimius Seuerus quodam tempore cum cõsulisset ac petisset, ut sibi indicaret, quo esset successore moriturus. In somnis uidit Antoninum sibi successurum. Quare statim ad milites processit, & Bassianum filium maiorem natu, M. Aurelium Antoninũ appellauit. Quod cum fecisset, & paterna cogitatione, uel ut quidã dicunt, à Iulia uxore cõmonitus, quæ gnara erat somni, quod minori filio hoc factõ ipse interclusisset aditum imperandi: etiã Getam minorẽ filium Antoninũ uocari iussit. Itaq; semper ab eo in epistolis familiaribus dictus est Antoninus, cũ si forte abesset, scriberet, Salutate Antoninos filios & successores meos. Sed nihil ualuit patris matrisue cautio: nam solus ille successit, qui primus Antonini nomẽ accepit. Et hæc de Antonini nomine. Geta autẽ dictus est, uel à patruï nomine, uel à uiri paterni: de cuius uita & moribus in uita Seueri Marius maximus primo septenario satis copiose retulit. Fuit autem Antoninus Geta etiã ob hoc ita dictus, quod in animo habuit Seuerus, ut omnes deinceps principes quẽadmodum Augusti, ita etiã Antonini dicerentur: atq; amore Marci uel fratrem suum semet dicebat, & cuius philosophiã, literarumq; institutionẽ semper imitatus est. Dicunt aliqui non in Marci honorem tantũ Antonini nomini delatũ, cum id Marcus adoptiuõ habuerit, sed in eius q Pius cognominatus, Hadriani scilicet successoris: & quidẽ ob hoc, quod Seuerũ ille ad Fisci aduocationem delegerat ex formula forensi, cum ad tantos processus ei paruisset dati ab Antonino primi gradus uel honoris auspiciũ: simul quod nemo ei uidetur felicior imperator ad com-

tor ad cōmodandum nomen eo principe, cuius proprium nomen iam per quā
 tuor principes cōcurrisset. De hoc eodem Seuerus gnarus genituræ illius, cuius
 ut pleriq; Afrorum peritissimus fuit, dixisse fertur, Mirum mihi uidetur Iuue-
 nalis amātissimus Geta noster diuus futurus, cuius nihil imperiale in genitura
 uideo, Erat em̄ Iuuenalis præf. eius prætorij. Nec eum sefellit. Nam Bassianus
 cum eum occidisset, ac uereretur Tyrannicam ex paricidio notam, audiretque
 posse mitigari facinus, si diuū fratrem appellaret, dixisse fertur, Sit diuus dum
 non sit uiuus. Deniq; eum inter diuos retulit, atque ideo utcunq; redijt cum fa-
 ma in gratiam paricida. Natus est Geta Seuero & Vitellio consulibus Medio
 lani: & si aliter alij prodiderunt v̄i Calen. Iunias ex Iulia: quam idcirco Seuerus
 uxorem duxerat, quod eam in genitura habere compererat, ut regis uxor esset,
 Isq; priuatus, sed iam optimi in Repub. loci. Statim ut natus est, nunciatum est
 ouum gallinam in aula peperisse purpureum. Quod cum allatum Bassianus
 frater eius accepisset, & quasi paruulus applosum ad terram fregisset, Iulia di-
 xisse fertur ioco, **Maledictus.** Maledicte paricida, fratrem tuum occidisti. Idq; ioco dictum,
 Seuerus altiusq; quisquā præsentium accepit: à circūstantibus autem postea
 uelut diuinitus effusum approbatum est. Fuit etiam aliud omen. Nam cum
 in uilla cuiusdā Antonini plebei hominis agnus natus esset, qui uellus in fron-
 te purpureum haberet, eadem die atque hora qua Geta natus est: audissetque
 ille ab aruspice post Seuerum Antoninum imperaturum, ac de se ille augurare
 tur: sed tamen tale fati timeret indicium, ferro eum adegit: quod & ipsum signo
 fuit Getam ab Antonino interimēdum, ut postea satis claruit. Fuit etiam aliud
 omen ingēs postea, ut exitus docuit huius facinoris, quod euenit. Nam cum in
 fantis Getæ natalem Seuerus commendare uellet, hostiam Popa nomine An-
 toninus percussit: quod tunc nec quæsitum, nec animaduersum, post uero intel-
 lectum est. Fuit adolescens decorus, moribus asper, sed non impius: à narbore *
 tractator, gulosus, cupidus ciborum, & uini uarie conditi. Huius illud pueri fer-
 tur insigne: quod cum uellet partium diuersarum uiros Seuerus occidere, & in-
 ter suos dicere hostes uobis eripio, consentiretq; adeo usque Bassianus, ut eo-
 rum etiam liberos si sibi consulerent, diceret occidendos, Geta interrogasse fer-
 tur, quantus esset interficiendorum numerus: Cunq; dixisset pater, ille interro-
 gauit, Isti habent parentes, habent propinquos: Cum responsum esset habere.
 complures: plures ergo in ciuitate tristes erunt, quàm læti, quod uicimus. Et obti-
 nuisset eius sentētia, nisi Plantianus præfectus, uel Iuuenalis instituisent spe p-
 scriptionum, ex quibus ditati sunt. His accedebat Bassiani fratris nimia crudeli-
 tas: qui cum cōtenderet & diceret quasi ioco, quasi serio, omnes cum liberis occi-
 dendos partiū diuersarū, Geta ei dixisse dicitur, Tu qui nulli parcis, potes etiā
 fratrem occidere: Quod dictum eius tunc nihil, post uero pro præfagio fuit. Fuit
 in literis assequēdis & tenax, ueterū scriptorū, paternarum etiā sententiarū me-
 mor, fratri semp inuisus, matri amabilior q̄ frater, subbalbe tamē canorus. Ve-
 stitus nitidi cupidissimus, ita, ut patri doleret, siquid accepit à præsentib; ad suū
 cōtulit cultū, neq; quicq; cupiā dedit. Post Parthicū bellū cū ingēti gloria flore-
 ret, Bassiano

Radix malo-
 rum omniū
 cupiditas.

ret, Bassiano particeps imperij appellato, Geta quoque Caesaris & Antonini, ut quidam dicunt, non accepit. Familiare illi fuit has quaestiones grammaticis proponere: ut dicerent singula animalia quomodo uocem emitterent, uelut agni balant, porcelli grunniunt, palumbes minarriunt, ursi sauiunt, leones rugiunt, leopardi rictant, elephantum barriunt, ranæ coaxant, equi hinniunt, asini rugiunt, tauri mugiunt, easque de ueteribus approbare. Sereni Sammonici libros familiarissimos habuit, quos ille ad Antoninum scripsit. Habebat etiam istam consuetudinem, ut conuiuia & maxime prandia per singulas literas iuberet scientibus seruis: uelut in quo erat anser, apruna, anas: item pullus, perdix, pauus, porcellus, piscis, perna: & quæ in eam literam genera edulium caderent, & item fasianus, farcta, ficus, & talia. Quare comis etiam habebatur in adolescentia. Occiso eo, pars militum quæ incorrupta erat, paricidium ægerrime accepit, dicentibus cunctis duobus se liberis fidem promississe, duobus seruare debere: clausisque portis diu non est imperator admissus. Denique nisi querelis de Geta æditis, & animis militum delinitis, enormibus etiam stipendijs datis, Romam Bassianus redire non potuit. Post hæc denique & Papinianus, & multi alij interempti sunt, qui uel concordia fauerant, uel qui partium Getæ fauerant, ita, ut utriusque ordinis uiri & in balneo cœnantes, & in publico percuterentur, Papinianus ipse securi percussus sit, improbante Bassiano, quod non gladio res peracta sit. Ventum denique est usque ad seditionem Urbanicianorum militum: quos quidem non leui autoritate Bassianus compressit, Tribuno eorum, ut alij dicunt, interfecto: ut alij, relegato. Ipse autem tantum timuit: ut lorica sub lato habens clauo, etiam curiam sit ingressus, atque ita rationem facti sui, & necis Geticæ reddiderit. Quo quidem tempore Heluius Pertinax, filius Pertinacis, qui postea est ab eodem Bassiano interemptus, recitanti fastum prætorij & dicenti, Sarmaticus maximus & Parthicus maximus, dixisse dicitur, adde & Geticus maximus quasi Gotticus: quod dictum altius in pectus Bassiani descendit, ut postea nece Pertinacis est approbatum: nec solum Pertinacis, sed & aliorum, ut supra dictum est, passim & inique. Heluium autem etiam suspectum habuit affectu Tyrannidis, quod esset in amore omnium & filius Pertinacis imperatoris: quæ res nulli facile priuato satis tuta est. Funus Getæ accuratius fuisse dicitur, quam eius qui fratri uideretur occisus, Illatusque est maiorum sepulchro, hoc est Seueri, quod est in Appia uia euntibus ad portam dextram, specie Septizonij extructum, quod sibi ille uiuus ornauerat. Occidere uoluit & matrem Getæ nouercam suam, quod fratrem lugeret: & mulieres quas post reditum de curia flentes repperit. Fuit præterea eius immanitatis Antoninus, ut his præcipue blandiretur, quos ad necem destinabat: ut eius magis blandimentum timeretur, quam iracundia. Mirum sanè omnibus uidebatur, quod mortem Getæ toties ipse etiam fleret, quoties nominis eius mentio fieret, quoties imago uideretur aut statua. Varietas autem tanta fuit Antonini Bassiani, imo tanta sitis cordis, ut modo fautores Getæ, modo inimicos occideret, quos fors obtulisset: quo facto magis Geta desyderabatur.

Grammaticorum quaestiu-
uncula.

Aelij